Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



Hic inops, lugens, humilisque vivit,
Semper insistens manuum labori,
Atque divinas modulando laudes
Mente levatur.

Audit optatum sobolis futuræ
Nuntium lætus, sterilisque plantæ
Cernit augmentum, mutuique leges
Condit amoris.

Non eum cordis fugiunt secreta,
Præpotens vitæ meritis senescit,
Solvitur curis, Dominoque soli
Solus adhæret.

Urget en messis, properat laborum
Finis, æterna fruitur quiete;
Semitas Patris teneamus arcta
Lege subacti.

Supplices nunc te Deitas precamur,
Ut viri tanti meritis et omni pacata
Ordini nostro tribuas eodem
Flamine ferri. Amen.

Ad Vigilias. Hymnus.

Sublimis aula Cælitum,
Novis resultet gaudiis,
Chorusque noster laudibus
Sanctum coronet Stephanum.
Felix Domus Cistercii
Ornata sertis Galliæ,
Quantum triumphas colligens
Fructus amænos arboris!
Matura nondum tempore
Transfertur, ut immobiles
Mittat radices altius
Juxta fluenta gratiæ.
Hic fixa multos undique
Fæcunda ramos protulit
Quos Caritatis vinculo
Sibi Parens annexuit.
Omni virens justitia
Transcendit ipsa cælitus